IO. BAPTISTAE
DONATII
DE AQVIS LVCENSIB.
quae vulgo Villenſes appellantur

LIBER PRIMVS.

IN QVO NOSTRAE DE HARVM AQVARVM natura rationes prorſus alio modo ſe habent, ac quae allatae ſunt a ceteris, qui hactenus de hiſce ſcripſerunt.



LVCAE
Ex Biblioteca Octauiani Guidoboni.
CIↃ. IↃ.LXXX.

AD IOSIPPVM COLLIVM

IO. FRANCISCI DE GAMBARA
S.R.E. Cardinalis Ampliſs.

PHILOSOPHVM, AC MEDICVM LVCEN.
Praeſtantiſsimum.

IO. BAPTISTAE DONATII
Praefatio.

QVI in re medica ad illud cuncta ſua incitat ſtudia, vnde laus emanat veriſsima, in ſcribendo non imperitiae praedam, ſed ſolidae gloriolae inſtrumenta quaerit doctrinam, & exercitationem. doctrina autem excellenti niſi ſi noſtra vndiq. fulta videantur, nulla ſunt, quae tractamus. Exercitationem vero non eam modo depoſco, quae quaſi muta eſt, & poſt opus ad nihilum plane recidit; ſed eam, quae poſt opera egregie aggreſſa, & munera pulchre exequta ſumma cum laude cuſtoditur, id eſt praeclaris traditur monimentis litterarum. Ac mihi ſane in illos intuenti, qui in ſuis artibus ita exercentur, vt nihil

omnino ſcribant, illis ſane ſimiles eſſe videntur, qui duodecim ſcrupulis ludunt; quos ociosos eſſe vel Socratis ſapientiſſimi hominis teſtimonio comprobare poſſumus. Ac tametſi eorum muneris functio quaedam ſit, quae aliquid moliatur, & in materia eorum opera quaſi cultura quaedam per bellè exerceatur, ac conſumatur; apud ipſos tamen minime reſidere videtur, quod edunt; quod in hac ſuperat, & per ſe laudabile eſt, & nullum finem ſequitur ſeipſo praeſtantiorem. Merito igitur optimum eſſe cenſendum eſt agricolam illum, qui in rebus ruſticis ita quotidie ſe exercet, vt non modo quoad viuit, quid ex uſu ſit, moneat, verum etiam poſt mortem. Et ciuem illum digniſſimum eſſe exiſtimandum eſt, qui a Deo Opt. Max. diligatur, qui non ſolum dum vitam agit de ſuorum ciuium commodis cogitat, verum etiam corporis vinculis liberatus Reip. emolumento eſt vel maximo. Quid de Medico ſentiendum eſt, qui, cum artem plane diuinam tractet, & ipſe ſummi poetae iudicio longe ceteris antecellat hominib. non modo morbis, qui ſalutem mortalium in diſcrimen adducunt, dum viuit, occurrit, ſed etiam optimos libros relinquit voluntatis ſuae quoſdam quaſi perpetuos adminiſtros? Quàm vero difficile ſit in utraq; re excellere, ipſa praeſtantium medicorum paucitas ſatis (ut arbitror) indicabit; & omnino ſingulis aetatibus, ſingulos excellentes medicos non enumeramus. Ergo res medica pulcherrimum quoddam templum videtur, quod

excelſo

excelſo in loco poſitum faciles aditus minime habeat. Illud nonnulli tantummodo intuentes Deum Opt. Max. orant. Perpauci idpie, caſteq. adeunt. Turpe autem eſt deſidia in optimis ſtudijs conſeneſcere: Haud abſurdum experiri quid noſtrae valeant vires: pulchrum aliquid efficere poſſe reip. cauſa, ex quo ciues tui voluptatem, ac fructum aliquando colligant. Ego vero, ſtudioſis opem aliquam ferre plane non poſſum; at eoſdem excitare facile poſſum; qui arte medica annos XXII. intentus multa notarim, infinita prope deſiderari cognouerim, quae niſi ab aliquo, qui & doctrina ſingulari, & diuturna exercitatione praeſtet omnibus, diligentius aliquando explicabuntur, ac illuſtrabuntur, verendum protinus eſt, ne res medica tandem conculcetur, ac proteratur. Equidem haud vereor, ne quemquam infinitus rerum labor deterreat, ſed fortunam timeo, quae & bonis ſtudijs, & Romano nomini inuida in hac Italiae luce huiuſce artis perfectionem, expolitionemq. nunquam non perturbarit, ac impedierit. Galenus illius fluctibus diutius iactatus, id, quod ſuſcepit, quoad potuit, egregie pertulit; at multa in illius voluminibus deſiderari nobis videntur, & plurimorum iacturam librorum miſere factam nouimus. Atque idem, cuius populi victoris imperium recuſare non potuit, illius hac in parte foelicitatem inuidiſſe, & Romanorum auctoritatem medicorum quantum potuit, iminuiſſe viſus eſt; quòd & Graece ſemper ſcripſerit, &

Italos

Italos ſaepe acerbius vexarit. Tardius noſtri ad hanc artem excolendam acceſſerunt; at optimis profecto doctrinis exculti eam meliorem multo, ac nitidiorem feciſſent, ſi eã protinus amplecti voluiſſent. Sed fato neſcio quo Italiae plane miſero res medica ad hunc diem ſemper iacuit. verum quid ego ſuperſtitioſiſſimi fati nomen fruſtra hic interpono? Nos, nos inquam diuinae ſcientiae turpiſſimas ſordes iniicimus, qui nullis inſtructi artibus ad eam perdiſcendam nulla ratione accedimus; qui in ſcribendo ita verſamur, ut moleſtam quandam, ac putidam infamiam perpetuo conſequamur; qui curſum temere inſtitutum, ita tenemus, ut circulatores potius, quàm medicos eſſe videamur. Sed ut haec aequo animo ferenda ſint, illud ſane a me impetrare non poſſum, ut importunitatem nonnullorum non iniquo animo feram, qui eruditorum hominum conatus optimos turpiſſime accuſare, & tertio quoque verbo in crimen vocare audeant. veruntamen haud deſpero fore aliquando, ut optima diſciplina apud Principes viros principem locum ſuum obtineat; at malus animus, ſenſuſq. nonnullorum funeſti cõmutabiles ſane mihi non videntur, quibus ego praeter diuinam prope pietatem tuam, nullum profecto habeo ſatis firmum praeſidium, quod illis opponam; quod adhuc me ſane ſuſtentat. Patere obſecro, qui afflictos fortiter erigis, vt egregiam hanc tibi laudem tribuam, & omnibus ſeculis conſtanter praedicem; quam quo magis

com-

commemorabo, eo plures (mihi crede) iuuabit pariter, & excitabit. Quamobrem perge, quod facis te Deo digniſſimum effingere, atque efficere; & hoc nomine te maxime ſuſpice; quod id tua ſedulitate conſequutus ſis, quod tibi nulla unquam poſthac extorquere fortunae poterit iniuria. Vide tu, quo me mirificae virtutis tuae admiratio impulerit. Ego, qui in re medica nullus plane ſim, haec nunc pauca ad te de Aquis ſcilicet Villenſib. mox de ceteris ſtatim acturus, ſi huic rationi noſtrae tua praeclara acceſſerit auctoritas; ſcio ego te de hiſce ſtudijs propter eximiam doctrinam tuam vere iudicare, & propter excellentem exercitationem abſolutioni, & immortalitati huiuſce artis egregie poſſe ſatisfacere.

IOANNIS BAPTISTAE DONATII

DE AQVIS LVCENSIB. quae vulgo appellantur Villenſes

LIBER PRIMVS.

CAPIEBAM antea voluptatem animo ſane haud mediocrem, cum audiebam doctos, diſertoſq. medicos praeclara quaedam de Aquis Lucenſibus volumina edidiſſe; etenim cum res ipſa propter ſingularem eius vtilitatem digna ſit, vt ab omnib. cognoſcatur, tum vero propter eiuſdem obſcuritatem idonea ſemper viſa eſt, vt in earum facultatib. perueſtigandis honeſtioris ordinis medici omne ſuum ſtudium ponerent. Nunc vero cum tribus hiſce ſuperiorib. annis, quos in natura earum perſcrutanda totos plane conſumpſi, facile animaduerterim partim eos ad ſcribendum de hiſce Aquis animum appuliſſe, qui ea nunquam viderunt, quod abeſſent fortaſſe longe gentium; partim vero, qui, cum quid in aliorum ſententias dici poſſet, haud facile inuenirent; & veritatis inueſtigandae laborem ferre non poſſent grauiſsimum, ad aliorum ſententias nullo negocio acceſſerunt; perſpicio me in eum locum adductum, vt aut ingenue quicquid ſentiam, mihi ſcribendum eſſe intelligam, aut reticendum, quod ciuibus, & neceſſariis meis maxime prodeſſe poteſt, & futurum aliquando eſt per honorificum. Reſp. Lucenſis peregrinos perpetuo hono

re afficit, obſeruantia colit, optimum quemq. hoſpitio accipit; laborare igitur debemus, vt quae tot, tantoſq. viros Principes amicitia quotannis nobis coniungunt Balneae, illis ornamento, ac praeſidio non detrimento eſſe poſsint. Veruntamen hac in re nihil eſt, quod magis mea ſcribendo haſtenus deterruerit, quam nonnullorum importunitas, qui cum infeſti omnib. ſint, curſum laborum noſtrorum nunquam non inflectere, aut reuocare conati ſunt; neque enim aequum eſſe cenſent, mihi, qui cuncta caeteris facile conceſſerim, tantum ſumere, vt ea, quae natura obſcuriſsima ſunt, ſolus videre poſsim; etenim in abditis, ac inuolutis rebus perpendendis caeteros ijs adiumentis caruiſſe veriſimile non eſt; quibus me minime affluere facile ſentio; quippe qui & fortunarum, & ingenioli mei tenuitatem, & meae infirmitatem valetudinis probe norim. At hi ſi ſcirent ea, quae palam natura ipſa ante oculos omnium aperte poſuit, noſtro ſaepe fieri vitio obſcuriora; & in re, in qua plures reperiuntur aemuli, nec deeſt, quod in certamen veniat, omnium praecipue elucere ſolere induſtriam, audacter haec minus dictitarent. At ego omnes omnium maleuolorum voces nullas faciens, deſpiciens, contemnens meas omnes libere, ſincereq. in medium afferam cogitationes; patriaeq. meae hunc fructum ingenioli mei, quantus, quantus eſt, beneuolo animo officiam, ac dicabo. qua in re cum induſtriam meam exercuero, praeclare ſane poſitá eam eſſe arbitrabor, ſi nonnullum ſolertiae meae ſpecimen ciuibus meis apparebit; amoris vero, & obſeruantiae ſigna haud dubia, &

II. haud vulgaria oculis pene cernentur. Deliberatum autem mihi nunc eſt nimias contentiones omnes, inaneſq. nonnullorum quaeſtiones protinus abijcere; & primo quoque tempore Villenſium aquarum naturam, quae paullo mihi ſemper viſa eſt occultior, quam breuiſsime explicandam ſuſcipere. Deinde quae in illis deſiderari merito poſſe videntur, neceſſarioq. addi velim dilucide exponere. Poſtremo quae morborum genera ab illis abſtergi nullo negocio poſsint, & qua ratione aegrotos aptiores facere oporteat, & quid animaduerti conueniat, oſtendere. Haec ſi Deo Opt. Max. volente, & adiuuante (quod ſpero) perficiam, doctrinae, iudicij, & experientiae aliqua profecto elucebit nota.

Cum

Cum igitur de aquis Villenſib. protinus acturi ſimus, aquarum III.
omnium naturam, montiſq. ſitum exprimamus. Mons ille, ex quo aquae calidiores omnes defluunt, ab vrbe diſtat xvi. M P. qui omnibus ex partibus circunciſus non eſt; nanq. eius iugi pars, quae ad Septentrionem vergit, coniungitur cum alio maiori paullo altitudinis faſtigio, qui Aquiloni officiens ad orientem Solem aeſtiuum conuerſus, ac circunductus flumen attingit; quod Lima vulgo appellant. Huic vallis, & planities ſubeſt ab eodem flumine radices montis ab oriente, & a meridie ſubluuntur. Ab occaſu vero, & Septentrione a Camalione, quae ſub eiuſdem montis radicibus, quae meridiem ſpectant, confluunt in Auxerim. ex omnibus autem partibus habet montes altiſsimos; ab occidente, & Septentrione Granaiolam, & Contronem; ab oriente, & meridie Contronem, & Menabium. Terra cultior eſt, & ferax, cuncta pene ibi naſcuntur, ac nata coluntur. Caſtaneae vero non modo naſcuntur, verum etiam egregiae fiunt. Vitibus fere cooperta tota terra eſt. locus ſalubris. Solum non omnino macrum, ac ſolutum, humidius multo, q̃ ſiccius. quinque reperiuntur in hoc monte calidioris aquae fontes. (Comitto nunc conſulto veteres duccias, Balneas rubras olim appellatas, quae in radicibus montis poſitae iam nullo vſui ſunt. ad occidentem ſpectant. Praetereo quoque fontem illum, qui D. Luciae dicatus eſt) in iugo prope montis, quod vergit ad occidentem Solem aeſtiuum, & Septentrionem Balneae D. Ioannis poſitae ſunt. Paullo infra in medio fere monte ſitae ſunt Balneae calidiores, & ante eas planities P. circiter xv. ad occidentem vergunt. Ducciae ſub hiſce ſitae ſunt, ad meridiem aeſtiuum, & occidentem hibernum vergunt. Sub his poſitus eſt fons vulgo Barnabo appellatus, qui ad meridiem, & occidentem Solem vergit. Ad orientem vero aeſtiuum, & Septentrionem Villenſes aquae. Fontes hi calidioris aquae, tametſi ab vno, & eodem erũpant monte, alio tamen, atque alio praeditae ſunt odore, ſapore, & facultate. D. Ioannis aquae nullo odore, ac ſapore praeditae videntur, pellucent. At Villenſes odorem grauem proferunt, grauiorem multo aquae; quae quoniam vulgo calidiores appellantur, nos quoque aques calidiores poſthac appellabimus;

omnium autem grauiſsimū e fonte Barnabonis afflat; ab eo enim nomen accepit, qui in illis ceteris aquis exploſis tandem aliquando ad ſanitatem perductus eſt. In illius montis diuortio, quod ad occidentem ſpectat, ſaxa nigredine quadam obliita, & oleo delibuta videntur. incenſa Iudaicum Bitumen referunt. In Barnabonis vero fonte oculis etiam ipſis ſtatim, vbi aquae deflue re incipiunt, apparet idem color. Villenſis aquae labrum colore Rubricae infectum videmus. a quo autem loco ex Balneis Villenſib. Limam verſus aquae foſſa ducta delabuntur, ſaxa ferrugine, vel potius nigredine quadam tincta videntur. Lintea ſi in eadem aqua abluantur, iactentur, fricentur, nunquam purgantur, & rubedine quadam infecta perpetuo obſeruamus. In ea montis parte, quae orientem Solem hibernum ſpectat, reperitur haud vulgaris terrae Sinopicae copia. in vicinis montibus reperitur Gagates, quod & Reinerius Solinander teſtatum reliquit. Caloris cauſſas ita perſequi certum eſt, vt ab Ariſtotele
IV. nunquam diſcedam; neque enim me fugit, diu, multumq. ſuperiorib. annis ab eruditiſsimis viris hac de re in vtranque partem fuiſſe diſputatum, qui ita ab eo deſciuerunt, vt non caloris, ſed ignis cauſſas ſedulo quaeritarent; ea re maxime in fraudem inducti, quod fontes omnes calidiores igni, & aqua referti viderentur. at nec ignis, nec aqua ſeparatim in aliquo fere reperitur. recte igitur fecit ille, qui non modo ignis, verum etiam caloris cauſſas nobis exponere voluit; omnis enim calor continuo ignis non eſt. hoc profecto ſignificat cum ſcriptum reliquit. *Fontes omnes aquarum ſalſarum magna ex parte ante aliquando calidiores fuiſſe cenſendum eſt, tum ignis quidem principium extinctum fuiſſe.* Huius ſententiam cur abiecerint nonnulli, & nouam quandam ſuſceperint, non video; praeſertim cum eam non ratio, ſed ipſa res comprobare videatur. primum quod igni, aqua, & terra cōmixtis, ignis quodammodo frigidus euadat; aqua aeri, & praeſenti ignis vi obrigere nullo modo poſsit; terra nec frigida, nec ſicca ſit, ſed calidior, & humidior reddatur; quippe quae & ignis & aquae qualitatib. reſpondeat; & res omnes a calore calefactae primo quoque tempore ſalſiores reddantur; huc accedit, quod eorum, quae in terris gignuntur, ſal ipſum primo procrea-

tur, & in id ipſum cuncta poſtremo diſſoluuntur; quod & a Chimiſtis egregie animaduerſum eſt. Haec ſi vera ſunt, quae nemo vnquam inuentus eſt, qui in dubium reuocare auſus ſit, caloris profecto materiem non Alumen, non Bitumen, non Sulphur, ſed Sal potiſsimú erit; quod Sal primo quoque tempore creetur. quod tametſi ex eiuſdem verbis nullo negocio conijcere poſsimus, quae tamen paullo poſt ſcripta ſunt, proferam, vt vnuſquiſque per ſe idem commode poſsit percipere, *Quorum omniũ cauſſa in ignis facultatem conijcienda eſt, quae aut in eis ſubſit, aut certe exoriatur, neceſſe eſt*. Calidarum vero fontium cauſſae non ignis facultati, ſed ipſi igni protinus adſcribendae ſunt; haec enim omnia ignis vi, ac poteſtate maxime accidunt, ſi Hippoc. credimus, cuius materies ex ſententia Ariſtotelis non Sal, ſed Sulphur eſſe cenſendum eſt; etenim cum aquae redditae ſint ſalſiores a calore, accenſo deinde igne a Sulphure, continuo eaedẽ ferueant, neceſſe eſt. quae per Aluminoſam terram pertranſire teſtatur Ariſtot. & quod Alumen terrae quaedam Salſugo ſit; & neſcio qua pinguedine praeditum, & quod denique priores partes obtineat Salis; poſt Sal enim, & ex ipſo gignitur Sale, & eius ope incendio protinus ſubuenitur; quod flammas mirifice retardet, & in cauſſa eſt, vt ignis diutius perduret; namq. ſi ſolum Sulphur ſubeſſet, continuo cuncta incenderentur, ac coſume rentur. Odor ex Sulphure protinus ſentitur; qui enim ſagacius aquas calidiores odorantur, Sulphure afflari maxime ſentiunt; namq. omnes aquae calidiores Sulphureo odore conditae viden tur. at ſat ſcio multos aetate noſtra repertos fuiſſe, qui illum non Sulphuris, ſed ſpirituum ignitorum odorem eſſe aliquando cenſuerint, qui profecto fallacijs a veritate abducuntur; quippe cum, & Ariſtotelis teſtimonijs ex lib. Metheor. & ex lib. Problem. ſumptis ab ingenioſiſs. viris id luculente ſit confirma tum. loca notiſs. ſunt. Calidiores autem omnes aquas ſacras appellat idem Ariſtoteles, quod olim Herculi eſſent conſecratae. His accedunt auctoris de elementorum proprietatib. verba, quae idem egregie demonſtrant, poſtremo Sulphur omniũ metallorũ materiẽ eſſe q̃ aptiſsimã notamus, quod, & Chimiſtae optime vi derunt. Excitatur vero ignis vel sua vi, vel fulminũ ictib. etenim

Fulmen

Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus, inde omnis flammarum diditus ardor.

Et quidem certe mons hic appoſitus ſuit, vt in eo ignis protinus excitaretur. principio quod longe maioribus circundatus eſt montibus. quare & calidior locus redditur, deinde quod duobus fluminibus radices eius alluantur, quae calorem, quem ſubeſſe affirmamus, contrahere contrudere, ac denique augere facile poſſunt. In montib. vero ſubeſſe calorem haud vulgarẽ teſtis eſt auctor libelli de mũdo, q vulgo Philoni aſcribitur. is antiquiſs. ſcriptor, & montes ab arborib. nihil omnino differre hac in re ſcriptum reliquit; & vim quandam igneam in terra cõditam eſſe, eamq. ſua vi cuncta ſurſum rapere, & proprium locum petere tradit. Ergo nihil mirum ſi terra aliquando efferatur, ac ita in ſummo contrahatur, vt in verticem tandem deſinat, qua in re mirifice naturam ignis imitatur. Hoc loco ne quis fruſtra quaerat Sulphuris ſigna, & quaſi impreſſa veſtigia, nos ea, quae maxime Sulphuris ſuſpicionem mouerent, paullo ante attuliſſe di-
VI. cimus, qua in re nullum errorem timemus. At illos opinione plane deceptos eſſe arbitramur, qui cenſuerunt in hoc loco Sulphur tantummodo ignis eſſe materiem; namq. meritò ſuſpicamur non huius tantummodo copiam ſubeſſe. Cum autem affirmauerimus materiam caloris fontium Sulphur perpetuo eſſe, non continuo negauimus Sulphuri aliquid aliquando admixtum eſſe poſſe: cum enim multae erumpant aquae calidiores, quae alia, atque alia facultate praeditae ſint; alia atque alia quoque ineſſe veriſimile eſt, quae & ignem protinus accendere, & alere, & eorum facultates, & cõmoda maxime permutare poſsint. Ego vero nimium libenter in hiſce aquis Bitumen quoque reperiri affirmo, quod, quid aliud obſecro eſt, quàm Sulphuris propria exhalatio? Bitumen enim Sulphurea, & cinerea parte commiſta procreatur. Hinc Sulphurea quae ſunt, Bituminis odorẽ naribus protinus obiectare litteris prodit Aëtius. Eadem permixta ſaepe inueniri ſolere teſtis eſt Aetnae auctor.

Sicq.

Commiſtum vento flagrare Bitumine ſulphur.

Perdifficile vero ſemper fuiſſe diiudicare ab hoc ne, an ab illo

ignis

ignis alatur, cum doctorum hominum controuerſiae, tum vero Ouidii quoque carmina demonſtrant.

> *Siue Bitumineae rapiunt incendia vires,*
> *Luteáue exiguis ardeſcunt Sulphura fumis.*

Propius accedo. Aquae iſtae (vt ita dicam) vnctuoſae ſunt, ac pinguiores; aut igitur Bitumen, aut Sulphur ſubſit, neceſſe eſt; namq. aqua tota tenuis minime eſt, aliquid igitur habet admixtum; at cum vnctuoſae appareant, & craſsiores, Bitumen continent; namq. Bitumen Sulphure craſsius eſt, imo vero Bituminis natura (ſi cum Sulphure conferas) tota terra eſt. Huc accedit, quod non grauem, ſed nidoroſum odorem afflant; quae inſignita eſt, & certa quaedam nota Bituminis. Notantur ad huc eiuſdem ſigna Bituminis, quod aquas iſtas lenire, mollire, aliquā do aluum exercere, vrinas ſaepe mouere, caput nō raro denique implere videamus. Aqua Barnabonis purgat; id vero Bitumini maxime acceptum refert grauiſs. auctor Vitruuius. *Bituminoſi (inquit) fontes interioris corporis vitia potionibus purgando mederi ſolent.* Aquae Villenſes vrinā mouent, oleo igitur quodā pmixtae ſunt; at hoc oleum Bitumen eſſe antea probauimus quod & ciere vrinam egregie poteſt, & aquarum in ventre iter munire, ac regere, idque oleum in ebrietatibus ſolere praeſtare Ariſtot. in Problem. auctor eſt. Proximis regionib. reperiri ſolere Gagatem, quae Bituminis ſpecies quaedam eſt locupletiſs. teſtib. comprobauit Reinerius Solinander. Idem aliquando cenſuerunt optimi, ac doctiſsimi viri, quorum ſententias cur nonnulli contra morem, inſtitutumq maiorum tantopere contemnant, non video, qui in eruditorum virorum controuerſiis medii ferè ſemper eſſe voluerunt, & a neutris omnino diſſentire nefas eſſe duxerunt. Iam vero in hiſce aquis innatare pinguedinem quandam, & mulieres ipſae ſentiunt, quae comas veluti oleo delibutas poſt aquarum ſtillicidia ſenſibus percipiunt. Huc accedit, quod ſi caput illotum aquis Villenſibus ſubiicias, id neque abluere, neque purgare illis plane poteris; quod oleo diffuſum caput videatur. Idem ſaxa ipſa teſtantur, quae cum attingimus, oleo quodam illita videntur, ac omnino nigriora. Illa fere ex Ariſtotele, pauca haec ab Hippocratis ſcriptis elicimus. VII.

Vbi,

*Vbi, vbi (inquit) calidiores aquae exoriuntur, ibi aut aes, aut argen-
tum, aut aurum, aut Sulphur, aut Alumen, aut Bitumen, aut Nitrũ
ſubeſt*. Hic tametſi vniuerſalia, & abſoluta litteris mandet,
ſingularia tamen ad illa facile accommodantur; & extra eos can
cellos, quos ars ipſa ſibi circundedit, minime egrediens cuncta
fere enumerauit, quae quotidie in aquis ſponte calidiorib. no-
tare ſolemus; ſingularia minime percenſuit, quae neceſſario
conſequerentur, praeteriit; quod in more poſitum ſit apud
Hippo. ea ſilentio inuoluere. eius ſcripta, qui praetermittit,
aut turpiter illum relinquit: quod breuiter cuncta perſequatur;
aut eius loca cum non laudat, quantum in ſe eſt, optimi viri fa-
mam delet, & turpiſs. ſibi inuidiae notam inurit. Ille autem non
modo calidarũ aquarum differentias, quae materiem ſpe-
ctant, diſerte admodum explicauit, ſed etiam earum facul-
tates ante oculos poſuit; etenim etſi omnes actu calidiores vi-
deantur, poteſtate tamen quaſdam plane frigidas ſentimus; re-
cte ergo ſummis, interſeq. maxime contrariis qualitatib. rem
ipſam definiuit. Quod vero cunctae exſiccent, aperte teſtatum
relinquit, cum ſubdit, ad excrementorum deiectionem prouocã
dam plane inutiles eſſe. complexiones autem, & copulationes
caeterarum qualitatum omiſit, quod ex illo nullo negocio col
ligi poſſint. Proprietates ſilentio minime inuoluit, quas qui-
uis intelligentia, aut cogitatione ex ipſa re ſeparatim compre-
hendere poteſt; etenim ſi ad quid potiſſimum aurum appoſitum
ſit, cognouerimus, aquam, quae per illum tranſit, eaſdem obti-
nere facultates cenſendum eſt. Scriptum vero reliquit, *Vbi, vbi
aquae calidiores naſcuntur, ibi aut aes, aut aurum*, & quae ſe-
quuntur, quod non recte retro verſetur oratio; nanq. raro me-
IIX. talla fodiuntur, vbi aquae calidiores profluant. Egregia omni-
no hactenus intelligo eſſe iacta fundamenta omnium earum re-
rũ, quae paullo poſt in mediũ afferenda ſunt. iam vt inquit ille.

Operta quae fuere, aperta ſunt.

Cum enim luculente probauerimus praeter Sulphur, Bitumen
quoque ſubeſſe, quae reſtant (vt ſpero) per ſe nullo negocio pa-
tebant; tum quod cetera palam ſunt; tum quod, quae poſt hac ex
promam, haud vereor, ne quiſquam aſpernetur, quaſi ea nunq̃

nouerit

nouerit. Nihil ſimplex, nihil ſincerum in rerum natura reperiri nouum non eſt; non aërem, non aquam, non ignem verum vſquam deprehendimus, cuncta ſunt fucata, ac permixta, vnde illa Lucretii. III.

Nihil eſſe in promptu quorum natura tenetur,
Quorum genere ex vno conſtet principiorum;
Nec quicquam quod non permixto ſemine conſtet.

Raro autem fontes inuenies, qui vna tantūmodo re cōfuſi videātur; ſaepe duo concurrunt, ſaepius alia, atque alia rerum genera ad ignem excitandum conueniunt. longior non ero: ex concertationibus medicorum, qui eorum naturam diligentiſsime perſequuti ſunt, nullo admonente cognoſces. Magna ſane illa inter homines doctiſsimos de Balneis Apponenſibus controuerſia minime ignota eſt. Sed quid ego aliena commemoro? in hiſce noſtris aquis cognoſcendis non ne olim de eorum natura a ſummis medicis, ac philoſophis ſumma contentione certatū eſt? qui, cum viderent ex vno, & eodem monte cunctas haſce aquas emanare, ita de hiſce diſſeruerunt, vt nihil plane inter hoſce fontes habere cōmune, atque coniunctum putarent; qui profecto neque loci naturam, nec poſitum ſane animaduertiſſe arbitramur. Etenim cum multorum ſententia in hoc monte ferri copia reperiatur, quod ſinopicae magnam habeat abundantiam, veriſimile eſt, cuncta poſſe reperiri, quae ferri naturae maxime cōueniant. Ferri autem vel Sinopicae primordium cum ſit vaporoſa exhalatio, ac ſiccior, quae in terrae cauernis in lapides maxime euadere ſolet, vnde & terra igneſcit, & conflagratur; vbi, vbi illorum minera eſt, inuentum eſſe oportet ignem, vnde exhalatio quoque exoriatur, neceſſe eſt. Non latet autem nos in fodinis calorem nullum ſentiri, non quod calor nullus ſubſit, ſed quod idem in imo coniectus, conditusq. ſit. Praeter cetera vero illum apprime oſtendunt manantes ex huiuſcemodi fodinis calidiores aquae, quae plerunque tamen longe abſunt, quorum cauſſas ſtudioſi omnes admirantes diligentiſsime inueſtigant. magis autem, ac minus feruent pro qualitate, & copia ignis impertiti, & pro vicinia Lacunarum. At hoc loco continere me nō poſſum, quin apud meos ciues teſtatum relinquam, quid hac de

re potiſsimum ſentiam. Eſt quidem certe, cur in hoc monte nul lam eſſe metalli fodinam merito ſuſpicari queam, vel hoc argumento; quod perraro, vel potius nunquàm aquarum fluxiones calidarum in fodinis animaduertantur; & quod nimium calorē maxime diſiungamus a natura, cuius opera in terra igniculi potius quadam temperatione fieri, ac vigere obſeruamus, quàm ignis vi maiori, ac virtute incredibili comburendi; & quod admixtione contrarii, & calor frangatur, & odor ad nares remiſſius feratur. Huc accedit, quod ſi cetera diligentius, quae in terrae cauernis procreantur, perpendamus, facile animaduertemus vno, aut altero excepto, Sulphure ſcilicet, ac Bitumine, ignem vix poſſe capere; immo ſi verum fateri velimus, igni maxime eſſe aduerſaria & Sales omnes, & Alumina, & Atramenta. Hinc aquae ferreae vix aliquádo tepeſcere ſolent. Quod ſi ferueant, vni Sulphuri acceptum referre debemus; id enim eſt, quod ſolum (vt antea ſaepe diximus) in imo ignem poſsit excitare. Neque vero ſi Sinopicae copia reperitur, continuo quoque ferri copia ſubeſt; imo contra, vbi ferrum, ibi ſinopicam protinus inueniri veriſimile eſt. Ridiculos autem eſſe arbitror illos, qui eam rationem huic parem, & ſimilem eſſe cenſent, ſi fumus eſt, igitur ſubeſt ignis, veruntamen haec alio in loco commodius; nunc quod propoſuimus, diligentius perſequamur, alio

IX. ſumpto principio. Calor, qui terram non adeo belle concoxerit, ſi frigus ſuperuenerit, ignisq; continuo refrixerit, terráq; ſua vi aſtrinxerit; quaedam, quae acerba qualitate praedita ſunt; linguamq; aſtringunt, gignere ſolere a ſummis philoſophis iampridem traditum eſt; quae ſane hoc in loco pulchre genita eſſent, niſi ſi loca caua Sulphuris plena, ac referta fuiſſent; quod ignem capiens, ac alens in cauſa eſt, vt aquae maxime ferueant; & impedimento eſt, quo minus ferrum procreetur; etenim (quod & antea admonuimus) nimius ille Sulphuris ardor modicum illum teporem, quo cuncta gignuntur, pellit, & graniſsimum calorem efficit, quo & Bitumen, & nitrum genitum eſt. Huius natura propius accedit ad Sal, at purius eſt; illius ad Sulphur, at magis terrenum eſt. Veruntamen cum calor ille ab iis, quae circunſtant, mirifice retuſus ſit, egregia facta eſt

teru-

verum conuerſio, & perturbatio; & natura ab omni alia re, ad id, quod fortaſſe omnes habet numeros, id eſt ferrum procreandum traducta eſt. Ita enim natura comparatum eſt, cum id, quod primo contendit, efficere non poteſt, id, quod poteſt, protinus ed re conetur. At quoniam eadem in operibus, quae facit, medijs tranſactis extrema non perficit, Alumen primo, & Salgemma, deinde Ochram, Rubricam, ac Sinopicam creauit; (pars enim, quae aridior eſt ignis virtute, quo adeius fieri poteſt, augetur propter materiae ſimilitudinem; at eadem, quoniam caloris vis frigore tandem intermoritur, humidiori de in re admota diſſoluitur, ac reſcinditur) paullo poſt fortaſſe ferrum erupturum, niſi maximus calor extitiſſet; ita enim natura fert, vt Rubrica a naturali calore magis, ac magis concocta in Sinopicam conuertatur, eaque in ferrum tandem euadat. Sinopica enim media eſt inter Rubricam, & ferrum. Mirificus vero eſt (quem nemo neſcit) eius ordo, quem in hiſce rebus procreandis nunquam non ſeruare ſolet. Terra alba calore lutea plane Ochra fit; ex hac Rubrica gignitur, ex Rubrica Sinopica procreatur, haec ferrum tandem profert. Quod an hoc loco ſubſit, pro certo affirmare non poſſum: Summa quaeque ferri indicia, quae ſolent, eſſe quidem video; at illud adeſſe minime ſentio. Miſſa faciant aliquando ferri indicia, ipſum tandem ferrum prodeat. Doctis viris verba dare difficillimum eſt; rei triſtitiam mitigabimus, ſi dicamus ferrum hoc in loco ſubeſſe poſſe haud obſcuris, ac dubiis argumentis intelligi poſſe. Iraſci illis temere minime debemus, qui ſuam libere in medium afferunt ſententiam; ſed illis, qui obſcura pro certis, falſa pro veris nobis perſuadere conantur. Quare ego non inficias eo ſub hoc monte ferrum eſſe poſſe; at inanem eſſe omnem noſtram orationem arbitror, niſi ſi res, quae ſuberit, a nobis recte, atque ordine percepta, & cognita fuerit. oculis vero eam cernere debemus Ergo ſatis mirari non queo illos, qui, quod oculis ipſis aſpicere poſſunt, & debent, id tanquam abditum rationum veſtigiis odorari conentur. rationes omnes contemnendas eſſe cenſeo, cum ſenſus, vbi conſiſtant, locum protinus reperierunt.

X. Atque ego, cum diligentius, quae in hoc monte obſeruantur, cum animo meo ago, & recolo; plane video cuncta optime conuenire. Mons ipſe in locis frigidiſs poſitus eſt. circundatus eſt montibus altioribus, qui ſaepe niuibus oppleti, obrutiq. videntur, gelu hyeme cuncta rigent. Aquilo ventus per totum fere annum continuatus permanet. obturata ſunt fere omnia, qua çeteri venti perflare ſolent. eius radices ſubluuntur duobus fluminibus, quae calorem a Sulphure excitatum mirifice frangere poſſunt; & frigiditas illa eſt plane in cauſſa, quo minus, quae cõſequi calorem maxime ſoleant, ſubſequantur; & denique alia, atq; alia procreentur, quae plurimum inter ſe diſtent. Quid enim tam contrarium eſt, quàm Sulphur, Sinopicae, Bitumen Ochrae? quae quamuis maxime pugnare videantur; inueniuntur tamen quaedam fere de induſtria inter ipſa interiecta nimirum Nitrũ Salgemma, & Alumen; quae ſi tollas, cetera labefactabis; neq; enim natura furens mediis relictis extrema perſequitur. merito igitur in imo conditum Sulphur eſt, quod calorem, vel potius ignem parit. Hoc Bitumen creat, & Nitrum, deinde Salgemma, & Alumen contrariis naturae ſtudiis conflata, & in illis locis, in quibus maxime confligunt inter ſe calor, & frigus, procreata. Rubrica vero, & Sinòpica in ſuperiorib. montis partibus genita ſunt; quod illae frigore maxime frigeſcant. Haec quidem for

XI. taſſe omnia cum ratione congruere, ac conſentire videntur. Nũc experiamur, num quae apparent, ad ea, quae dicta ſunt, recte accommodari poſsint. Quae inferiori loco defluunt aquae Parnabonis plane feruent, quae res Sulphuris dat ſignificationem. Bitumine affluunt; poſſumus id ex eo, quod aluum reſoluunt, tamquam ex quodam eius naturae indice certiſsimo coniecturam facere. Oculis inſignes inferre iniurias, quibus occurrere aliquando vix potuimus, ipſe teſtis ſum locupletiſsimus. Cetera nõ proſequar ſigna; neque enim me praeterit idẽ intelligi poſſe ex odore, quem grauiſsimum ex hoc fonte eructare nemo ignorat. Nitrum, & Alumen in hoc deſiderari affirmare non auſerim, cum obſeruauerim mirifice partibus imbecillioriib. robur addere, & digerendi vim nactum eſſe maiorem multo, quàm ſuperiores, qui calidiores vocantur; etenim animaduertimus,

cum aquae ſuperiores nonnullis morbis remedio eſſe nō poſſent, ad haſce illico deorſum eſſe, & morbo ſalutares praecipue inuē- XII.
tas fuiſſe. Ducciarum vero aquae, cum maxime ferueant, minime dubium dant ſignum Sulphuris. Nitri indicium minime latet, nunquàm (fatebor enim) potui ad combuſti marmoris coniecturam euadere, qui centies Lacunas viderim, & nihil niſi Bitumen vnquàm animaduerterim. Quod vero illi marmor cōbuſtum putant, id Alumen, aut Salgemma conflagratum eſſe arbitror, quae ignis vim retundūt; & vt minus aquae incaleſcant, in cauſſa ſunt. Deiecimus aliquando de induſtria in eius Lacunas lignum bipedale, quod aquas minime attigit, guttas Bituminis, quàm plurimas ſuſpenſas, & aluminis combuſti copiam ligno appoſitam, ac applicatam obſeruauimus; quod ex ſapore omnes nullo negocio intelleximus. at difficile eſt hoc ab illo diſtinguere. Quid ni? quod Alumen marmoris combuſti quaſi propagatio ſit. Veruntamen cum haec pauca ſatis ſuperq. eſſe poſsint ad eam vim, quam habent obtinendam, ac demonſtrandam, ridiculum eſſe arbitror alia conquirere, ac inueſtigare, quae idē, XIII.
quod haec poſſunt, edant. In Balneis autem calidioribus Salgemma, Nitrumq. copioſius apparet etiam ijs, qui in Hippocaustum aliquando ingrediuntur. vaporib. vero Sulphureis ex locis terrae cauis eaſdem affluere aquas nemo ſanus dubitauit. Aluminis quoque ſigna cuncta conueniunt; quae alij doctiſsimi viri tradiderunt, inculcare ventoſi hominis eſſet. Illud tantum, quod, cum longius abſint a terrae cauernis, vbi Sulphur ignem excitare multo ante monuimus, veriſimile eſt Alumen ibi reperiri minime conflagratum. in hoc eſſe haud magnam Bituminis copiam, vt credam, facit, quod in his locis multi ſerpentes repe- riantur, quos Bitumen nidore fugare ſolere teſtis eſt Plinius. In aquis Villenſibus nulli inueniuntur; in quibus omnem con- XIV.
trouerſiam poſitam video. Haſce aquas ferri nullam partem Falopius quoque ferre exiſtimauit. omnes eius facultates, ac virtutes vni Alumini acceptas refert. nihil praeterea poſtulat. Nos quoque, qui ferrum ſubeſſe omnino affirmare non audemus, in eius ſententiam facile iremus, niſi videremus contrariam in partem a nonnullis diſputari, & illum valde vrgere ſolere; quippe,

qui

qui Sinopicam oſtentet; atque hi, niſi ſi continuò ferrum quoque ſubeſſe falſo aſſeuerasſent (neque enim i eſte retro verſatur oratio) id, quod voluiſſent, ſane conſtituiſſent. Tantum ſcrupulum illud remanet, quod eos perpetuo vehementiſsime torſit, lutū ſcilicet ipſum ferrugineum, ac prope nigrum, quod ego totum Bitumini, Sinopicaeq. merito adſcribo: cum enim pauco Bitumini haud vulgaris ſit Sinopicae copia adiuncta, lapides, lutumq; plane nigrum reddere aqua profluens minime poteſt. Contra vero in fonte Barnabonis plane euenire notauimus; in ipſa etenim aquarum fluxione cuncta nigriora apparent, quod nihil praeterea conſociatum, confuſumq. habeat, quod earum colorem mutare queat. At vbi erumpit aqua, ſecum effert album quoddā, ſalſum, & aſtringens, quo mulieres dentes per purgare ſolent, id cum circa canales frigiditate potiſsimū durari videamus, idē quaſi ſudorem quendam euocari merito cenſendū. Quid? nonne eandē rem in Elambico, vbi eadē aqua veluti ros profluxerit, ſubſidere cernimus, atque eaſdem plane reddere qualitates notamus? Salſedinem illam ex caliditate terram contraxiſſe haud negamus: & Alumen (quod ex Sale, & cum Sale antea gigni affirmauerimus) in his quoque locis ſubeſſe omnino inficiari non debemus, praeſertim cum huiuſce opinionis doctiſsimum virū auctorem cognoſcamus, qui optime ſciret Sal cum Alumine maximam ſemper habuiſſe ſocietatē; & ab eodem Sale concitatas ſaepe ex aluo aquas depelli nemini obſcurum ſit. Id quidem praetermittendum non eſt, quod nuper in nonnullorum doctiſs. medicorum ſcriptis animaduerti haſce aquas, & frigidiores particulas calidiores reddere, & frigidiores calefacere nullo negocio poſſe. vtrumque praeſtare ſane haud valerent, niſi ſi Bitumen ſubeſſe fateremur, quod in hiſce aquis modico tempore caleret, & aſtrictionis vim, quam habet Alumen, deliniret, & denique aditus patefaceret, quibus profecto prohiberetur, niſi nactum eſſet vehiculum, quo per illas partes ſane quàm anguſtiſsimas, commode veheretur. Harum aquarum natura percepta mirari tandem deſinamus, quid ſit, quod iocinoris, ac Rhenum morbis tam belle ſubueniant. Vincere autem illos egregie iocinoris morbos obſeruamus, qui vel intemperie vrgent, vel cum

materia

materia ad Iecur conuertuntur. neque vero eam vim obtinent a ferro, ſed ab Alumine, & Rubrica ſinopica. De Alumine iam ſatis dictum eſt. Rubricam vero Sinopicam iocinoris morbis conflictatis recte dari teſtis eſt Dioſcorides. Ea nullo negotio diffluit, cum diluitur; eius rei haec poteſt afferri cauſſa; quod ea pars, quae aridior eſt, ab igne augeatur propter naturae ſimilitudinem; ab eoq. continuo frangeretur, niſi ſi adiuncta re humida ita refrigeraretur, vt in aquam cõiecta minime concreſcat, atque conſolidetur, quod Bolo Armeno euenire notamus. Ea igitur cum adeo exſiccet, atque aſtringat, nihil mirum ſi tantum aſtrictio in Renibus tardet, vt Renes fiant ſaepe aptiores multo, quam antea ad calculos producendos. Ergo maior multo particulis omnib. corporis noſtri ab hiſce aquis robur accedit, quàm vaſorum vacuitas. Eaedem morbis omnibus ex alia parte excernente excitatis auxilio ſunt. Menſtrua largius profuſa ſupprimunt. Gonoream ſanant Morbo autem Gallico vexatis poteſtas aquae facienda nõ eſt. Summum ſaepiſsime vehicula quaedam comparanda ſunt, quibus ex corpore haec eripiatur aquae. Longior oratio ſuſcipienda non eſt de D. Ioan. Aquis., quippe, quod in eis nec ferrum, nec argentum, ſed aqua tantummodo calidior ſit, eaq. putiſsima. Ceteras autem, quae ex hoc monte decurrunt, aquas, calore quodam tepeſcere manifeſtum eſt, vna excepta, quae frigeſcere videtur. Vergit ad orientem Solem Aeſtiuum, & iuxta viam, quae ad templum ducit, erumpit. non longe omnino abeſt a fonte aquae Villenſis; ſuperiores montis partes occupauit. nihil ergo mirum, ſi hic locus propter frigiditatem Alumine maxime abundet; ad eius enim generationẽ frigiditas conueniat, neceſſe eſt. Hactenus naturã XV. calidarum aquarum, quod multo ante polliciti fuimus, demonſtrauimus, atque ita demonſtrauimus, ut cuncta primum ex vno calore, dein ex frigiditate, quae cum calore hoc in loco prope praelio decertata eſt, pendeant, & oriantur. Sulphur in imo ignem accendit, quod non modo, vt aquae feruecant in cauſſa eſt, verum etiam Bitumen, & Nitrum procreat. Ex frigiditatis conflictatione Alumen primo quoque tempore exortum eſt, deinde Salgemma, tum Ochra, dein Rubrica, poſtremo Si-

nopica

ſinopica, fortaſſe natura ferrum procreatura niſi calor, qui ex Sulphure excitatur, naturalem calorem labefactaſſet. Nec vero aliud natura ipſa loqui videtur. cum aliquid (inquit) procreare conſilium eſſet, Sulphur protuli, Bitumen genui, Nitrum peperi; frigore dein conflictata id, quod potui, potiusq. duxi, perfeci. Alumen, & Salgemma procreaui, Ochram, Rubricam, ſinopicam coagmentaui, quae iniuria, quam inſignem mihi intulit frigiditas, ducta, conflataq. eſſe mecum omnes agnoſcunt. Agnoſcit autem hoc quoq. Alexander Puccinellius medicus eruditiſs. qui & in harum aquarum natura inueſtiganda, & aegrotis curandis ſumma cum laude perdiu verſatus eſt. Ergo quod vnum noſtra dudum ſpectauit induſtria, vt aſſequeremur, ad id propius ſcilicet acceſsimus; namq. ineptus ſim, ſi hac in re certi aliquid definiam, in qua haud ſum neſcius per multos annos multos doctiſs. & eloquentiſs. viros magno cum labore verſatos fuiſſe.

XVI. Nunc, quae iure, ac merito deſiderari a nobis poſſunt, breuiſsime explicare aggrediamur. qua, in re ſatis mirari non poſſum, quid ſit, quod, cum doctiſs. quidam viri ſaepe ad has acceſſerint Aquas, nemo tamen adhuc extiterit, qui quid potiſſimum in hiſce deeſſet, & neceſſario requireretur, literis conſignarit. illum vero, qui primus Villenſium aquarum riuulos inſtituerit, qui commode capiti inſtillarent, qui vulgo Ducciae appellantur, ornandi locus praetermittendus non eſt; atque eius honori, qui omnem ſuam induſtriam, curam, operam ad noſtram vtilitatem egregie contulerit, noſtrum viciſsim ſtudiũ aliquo in loco deeſſe turpe, atque adeo nefarium eſt. eas vidimus optimum, manifeſtumq. remedium eſſe ijs, qui capiti praediti calidiori, aut vertigine, aut aurium ſonitu, aut materia haud ita multa, ſed frigidiori opprimerentur, quib. caeteros riuulos magis nocere, quàm prodeſſe ſolere euentus ipſe plerumq. comprobauit. etenim cum canales illi, quae Ducciae paſsim vocantur, magis calfacere experiremur, quàm capitis calidior temperatio poſtularet (habent enim Alumen, Nitrum, & Bitumen) ad hos aegrotos compellere ſolemus, qui modice omnino calẽt, molliunt, digerunt, ſiccant, vt pote in quibus ſit Bitumen, Alumen, Sinopica. nos vero in hiſce curandis Galeni inſtituta

ſequimur

ſequimur. At quoſdam habemus Galeni ſectatoribus acerrimos
aduerſarios, qui pernegant huiuſcemodi capitis temperamento
calidiori riuulos illos aliquam inferre poſſe iniuriam; quibus
cum neſcio, quid afferimus ex Galeno, qui ita de hac re diſputat.
*Aquarum autem calidarum, quae ſponte naſcuntur, vſus hiſce maxi-
me nocere ſolet; etenim quae ex hiſce Sulphureae, Bituminoſaeq ſunt,
propterea quod calefaciunt, calido naturaliter capiti ſunt inimiciſſi-
mae. Aluminoſae vero, quoniam perangustos halitus meatus prae-
cludunt; eas autem ſolas minime infeſtas experirẽtur (ſi tamen ad ip-
ſas aliquando decurrendum eſt) quae dulciores ſunt; hoc enim pacto cõ
modius, tutiuſq. multo dixeris; namq. quod vtilitatis etiam nonnihil
conſequturum ſit, non perinde tuto dixeris, quandoquidem nec calidio
res protinus forent, ſi nulla calfaciendi praeterea facultate praeditae
eſſent.* Operaepretium ſane eſt eorum videre audaciam, nullo
animi motu perturbati audacter affirmare audent Galenum cali
darum aquarum naturam plane ignoraſſe. primum quod libri il-
li, quos conſcribere aliquando pollicitus fuerat, plane deſiderã-
tur; neque adhuc inuentus eſt aliquis, qui illos vnquam lecti-
taſſe memoriae mandarit; & ipſe in duobus illis voluminib. quae
de proprijs libris inſcripta ſunt, de hiſce nullã mentionem fecit;
deinde quod ipſe ſtatim tradit; *Satius eſſe huiuſcemodi aquas expe-
rientia cognoſcere, quod raro extent.* Proh Dij immortales, quae
eſt eorum ratio? qui Deos, hominesq. contemnentes haec in
medium afferre conati ſunt. quae falſa eſſe vel ij, qui haec pro-
miſcue prodũt, ac promunt, ſane haud ignorare arbitror. adeo'-
ne deſidia, eos inuaſit, vt cuncta miſcere non dubitent? Galenũ XVII.
de Aquis calidioribus luculente quidem ſcripſiſſe, at librum ali-
quem de illis ſeparatim minime confeciſſe notamus. quid tum?
an ſi librum non confecit, continuo quaedam aut ignoraſſe, aut
potius praeteriiſſe dicendum eſt? non dicã id, quod ingenioſiſſ.
quidam viri tradiderunt, obſcura multa apud alios quoque gra-
uiſsimos ſcriptores reperiri, in quibus illuſtrandis diu, multũq.
a noſtris elaboratum eſt; plura in iiſdem ſaepe deſiderari, in qui-
bus inueſtigandis omne induſtriae noſtrae curriculum aliquan-
do verſatur, illud etiam ſilentio inuoluam, quod nemo non vi-
det, niſi qui exorto Sole plane caecutit, quo magis ad haec ex-

plicanda acceſſerit Galen. eo clariorem orationis maximæ cum dignitate ſplendorem quendam illuxiſſe. Id certe firmiſsime aſſeuerare poſſum (quod magis ad eam rē ſane intereſt) quaecunq; de aquis calidiorib. ex eius libris effluxerint (multa enim, eaq; minime contemnenda ad nos peruenerunt) ita abſoluta, ac perfecta eſſe, vt nihil ab illis abradi, nihil plane ad illa adiungi queat. Scriptor hic prudens, & accuratus cauſſam caloris fontium ne attigit quidem, quod eam ad philoſophos maxime pertinere haud ignoraret. Aperte explicauit calidiores quaſque aquas eaſdem obtinere facultates, per quae aut ignis excitatur, aut ipſae aliqñ pcurrunt; adnotauit Sulphureas, & Marinas aquas bilē educere, Bituminoſas, Nitroſas calfacere, attenuare, ac denique exſiccare; & vt eaſdē experimentis maxime cognoſcamus, auctor fuit; cum enim medicus in vnaquaeq; re vel inueſtiganda, vel praecipienda ratione primū, deinde experientia maxime nitatur; cū rationē ſatis ſuperq. ſecutus videretur, dextro innixus pede ſiniſtrum tollens quaſi progredi vellet, rationi experientiā adiunxit, id eſt, vt ad experientiam decurreremus, adhortatus eſt, quae ſingularium eſt. Quare mirifice laudauit Empiricos, qui ſtomacho imbecilliores ad aquas calidiores detrudebant, quas Vere, & Autumno, vt perpurgemur, recte aſſumi poſſe tradit; & ſalutariter in eaſdem aegros aliquando deſcendere ſolere memoriae mandauit. Commemorauit Albulas aquas vlceribus, & iis, qui morbis, qui alia parte excernente conflictantur, efficaciſsimum eſſe remedium, quod eſſent Aluminoſae. Bituminoſas, Nitroſas, Sulphureas aquas inter cutē laborantib. ſalutares. Narrauit in Leſbo longe a Mytilenis ſtadiis fere xl. reperiri aquas calidiores, quae digerendi facultate praeditae ſint, turbidiores, craſsiores, ſalſiores, nimirum quod aqua maris floris Sale inquinata videretur. Haec egregie Galenus. quid ceteri? nonne eadem, quae ipſe reliquit, veſtigia perſequuti ſunt? praeclare inquies; at nefarium eoſdem affirmare, in iis minime ſuam exercuiſſe induſtriam Galen. qui quas nunquam viderit aquas calidiores, pro viſis nobis non tradiderit. Hi tametſi a Galen. via, ac ratione nunquam diſcedere videantur, in hac tamen re, mirum quantū ſe ab illa abſtraxerint. homini imperito tu, qui calidiores aquas

nuſquam fortaſſe videris, Vllenſium aquarum naturam temere obtrudere audebis? haud magno ſane negocio, quae alii luculen te perſequti ſunt, apertiſsime compilamus, feſtinanter exſcribimus. Dii boni, quantum Galeni conſilium diſtat ab ipſorum cogitationib. cui nihil niſi, quod compertum haberet, tradere deliberatum erat; cupiebat enim, vt ſtudio maiori in aquarum calidarum natura cognoſcenda operam noſtram nauaremus; & omnino induſtriae plurimum adhibendum eſt in iis rebus, quae cũ vulgo obſcuriora ſemper habita ſunt, tum vero perpetuo prolabuntur. Quare multa quotidie in conſpectum ſe dant, quae an tea a natura quaſi ſtudioſe abſcondi videbantur, quae cum diligentius conſideramus, faciliorem multo faciunt cognitionem cauſſarũ. Nihil ergo mirum, ſi quando maiores noſtri hiſce de rebus minus recte iudicare potuerunt. & eſt, cur illos merito ali quando excuſemus; nanq. in ea quoque tempora inciderunt, quae praeſtantiſsimas quaſq. artes expulerũt. Nos vero Dei opt. max. benignitate, patrum noſtrorum virtute Galenum habemus, in cuius voluminibus cuncta reperiuntur, quae iuniores in ſua cõiecerunt; cui cum ſumma quaedam debeant, tantum abeſt, vt ea aliquando ſoluere conentur, vt in eum acerbiſsima quaeq. iacient. Sed quid hoc tantum? verum etiam falſis, ac inſulſis declarationib. cuncta interturbant. Idcirco ſcribunt haſce aquas XIIX.
calidiores experientia eſſe cognoſcendas, quod aliquid praeterea diuinitus eis acceſſerit; cum capiti inſtillant, inquiunt, continuo propria vi id, quod poſſunt, edunt. proprietatem enim maxime a ceteris priorib. ac poſteriorib. qualitatib. ſeiunctam eſſe aſſerunt. Hi cum ſenſus, & experientiam praetergrediantur, & vanam profecto rem ſectentur (quippe quae nunquam niſi poſterius eluceſcat) nihil mirum ſi in tam difficili, ac lubrica re ali quando turpiter offendant; ſenſus enim quaſi columnae quaedã Herculeae a natura in hiſce rebus quaſi mari immenſo egregie collocatae ſunt, in quas incurrere quidem licet, at eaſdem euertere, ac praeterire non licet. Hinc illa Pindari

τὸ πόρσω
δ' ἔστι σοφοῖς ἄϐατον
κ' ἀσόφοις.

Attamé id hoc pacto comprobare nituntur, quod Ducciae, quae calidiores omnino ſunt, capitibus temperatura calidiorib. maxime prodeſſe nonnunquam obſeruauerint. Audiſſe nónullos ita diſputantes Faloppium arbitror, qui ad haec nihil reſponderit, niſi variam eſſe illorum rationem. noluit ſcilicet vir ille tempus terere in illis refellendis, quae nullam plane habent rationem. facile perſpiciebat ad proprietates continuo confugere rerú imperitos, qui nihil reperiunt, quo id, quod volunt, efficiant. etſi enim a tota eſſentia, vel proprietate excitetur vniuſcuiuſq. munus; cuncta tamen ita effecta eſſe neceſſe eſt, vt habita ratione gradus temperaturae, ad quem ſe ipſa iam extulerunt, munus ſuum exequantur; illud enim exploratum eſt formam ex ipſa eſſentia manare; & idem, cui acceptam referimus temperiem, formam quoque protinus excitare. Qualitates vbi certae conſequutae ſunt, aliae atque aliae neceſſario procreantur temperaturae, ex quibus colligi poſſe formam, quae cum qualitatibus plane pugnet, mihi quidem minime fit veriſimile. & ſi in mixto cótrariae notantur qualitates, non continuo forma, vel proprietas qualitatibus contraria exorietur; imo vero formarum ſimilitudines ſimilitudinem mixtionis excipere manifeſtum eſt, quá forma, vel proprietas conſequitur, quaſi quaedam eius perfectio, atque abſolutio, non euerſio, atque demolitio. Argumentum vero, quod addunt, nugatorium eſt; tentant enim haec remedia in capitibus calidiorib. contra atque rei medicae ratio, atq; ordo poſtulat; praecepta Galeni, cuius diſciplinam falſo ſe ſequi dictitant, minime recipiunt, & experientiam denique aliter multo, atque curandi leges imperant, accipiunt; namq. in illis aperte cauetur, ne experientia a recta ratione deſciſcat. de hac lege quicquàm diminuere nefas eſt, quam nobis non Galenus reliquit, ſed natura eam nobis impoſuit. at nihil aliquando ex illa detrimenti importatum eſt. quidni? qui illos ad hoſce riuulos maxime impellant, qui humoribus minime redundent; qui humidiori victus ratione perpetuo vtantur; qui mane, & veſperi lactucam protinus aſſumant: huc accedit, quod aliquando eae conſequuntur tempeſtatum qualitates, quae ad calorem frangendum quàm aptiſſimae ſint; poſtremo quod aquae coele-

ſtes

ſtes minime ſaepe deſunt, quae in hiſce regionib. vere, & Autumno praeſertim largiores decidere ſolent: neque vero ea certa, & rataq; habere oportet; quae bis, terue dubia experientia docuit; etenim infirma omnis experiētia eſt, quae rationis auxilio quaſi non confidat; rem enim medicam, & ratione, & experientia procedere nouū nō eſt; vtraq; per ſe indigens altera alterius ſubſidio eget. Omnibus igitur meis ſermonib. nomen eius merito illuſtrabo, qui riuulos aquarum Villenſium excogitauit, quorum bonitas cum iampridem a multis, ac multis ſit explorata, tū vero, cum frigidiores propter Aluminis copiā vulgo recte habeantur, quàm aptiſsima ſunt iis, qui vertigine conflictantur, & vt poſt calidarum vſus ad hos protinus decurramus, digniſsimae ſunt; qui vt interdum magis proſunt, ſic poſt illos calidiores adhibiti praecipue ſalutares ſunt; robur enim egregie capiti addere, & calorem, ſi quis forte ſuberit, perbelle finire ſolent. Antiquiores quiq; medici, vbi multa aqua calida caput perfudiſſent, tum tepida, dein frigida vtebantur; quod frigida mirifice capiti prodeſſe exiſtimarent; quid nos facere debemus, qui antiquorum diſciplinam, inſtitutaq; ſequimur, qui haſce aquas, quaſi praeclariſsima dona quaedam Dei opt. max. habemus, quae frigiditatem illam ſummam minime nactae ſunt, quā noſtri tantopere reformidant? Hoc non modo Cornelius Celſus, verum etiā Caelius Aurelianus, vel potius Soranus egregie animaduertit. eius haec ſunt verba. *Vtendum etiam fomentis, ſiue vehementib. illiſionib. aquarū Graeci, cathecly ſinos appellant, & primo calidarū, deinde frigidarum. Ordinandae etiam mutationes earum ad vſus naturalium aquarum ſcilicet, quae non odore percurrunt?* & alio loco. *Itē vſus adhibendus aquarum naturalium, tum calidarum, tum frigidarum, vt ſunt in Italia, quae appellatae ſunt Albulae, vel Cotilae.* Albulas vero frigidiori facultate praeditas eſſe paullo ante tradiderat. Hiſce autem ſtellicidiis capita ſupponere debemus morbo precipitante. Veruntamen, vt idem de loco, vbi tantum ſudarent aegroti, maxime vellem, vt attentius cogitaſſet; nanq. eum locum in curationib. morborum, qui renes vexant, optime conuenire teſtatur primū Archigenes deinde, Aëtius, qui Smegma Archigenis refert; & quod referat, idem laudet, comprobetq.

XIX. XX.

betq. neceſſe eſt. componitur ex hiſce: Piperis, Calcis viuae, Sinapis, foecis vini vſti, ſtaphidis ſilueſtris; Nitri, Adarcis, Pumicis, Aluminis ſciſsi, Sulphuris viui ſing. par. portiones. &, vt eo ſudans in Hippocauſto, vel caldario vteretur aeger, iubebat. is enim locus in Aquis ad ſudandum fuit, qui locus quoque Aſſa a veterib. eſt appellatus. Idem paullo infra apertius multo tradit, cum enim ea remedia perquireret, quae & veſsicae & renũ calculis maxime conuenirent, praeſtantiſsimũ remedium adſcripſit, quod habet Alliorum nuclos vii. Piperis G.ix. quod ex vino praebet in Balneo, poſtquàm in calidiorem eius locum deſcenderit. Haec Aëtius. Paullus ſanguinem Hircinum, Cicadas, Lapidem Iudaicum ex mulſo in calidiori Balnei ſolio, vt detur, imperat. Idem Soranus, *In Lienoſis, & iocinoroſis vſum naturaliũ aquarum, atque natationem marittimam, & vaporationem locorum natura ſpirantium, quo etiam ſudores moueant*, maxime probat. Naturaliũ etiam aquarũ laudat exhalationẽ in Regio morbo; quippe quae ſudores non modo elicere, verũ etiam effundere poſſit; vapores autem quanto longius a terra, & ab aqua eructant, tanto ſicciores, & aridiores eſſe veriſimile eſt. Et Aëtius deniq; ea medicamẽta, quae Ictĕris potui dari ſolent, maxime praebet, cum aeger in calidã deſcenderit. Ego vero, quae mihi veriſsima in mentem iamprıdẽ venerunt, ne nunc quidẽ, cur abiiciã, ſatis perſpicio. ad has aquas in renum vitiis curandis decurrimus; quippe qui Balnearum vium temporũ iniuria iandudũ amiſerimus, in quib. multa, eaq; egregia medicamẽta vſurpabant optimi quiq; medici; haec Dei ſumma Benignitate accepimus, in quib. ea medicamenta e tenebris eruere, & ad vſum promere cõmodius multo, quàm perantiqui illi poſſumus; quod nacti ſimus ad ſudorẽ eliciẽdũ vapores illos, qui ex ea aqua efferantur, quae renũ mala euincit egregie. Multos praeterea ad haſce aquas quotidie accedere videmus, in quorũ corporis habitu humores plane ſuperfluũt, quos medicamentis magno cũ aegrorũ malo, atq; incommodo intus adiicere aliquando conamur. quod omnino perficere operoſum eſt; difficilius enim eſſe ſcriptũ reliquit Galen. ea diſcutere, quae in carnibus coierunt, quàm ea, quae in aliqua ſede concluſa ſunt, extrudere. Huc accedit, quòd, qui extra feruntur humores, re-

& minime intro reuocantur; neque, qui intus tendunt, foras cōmode prodeunt. Reperiuntur adhuc multi, qui aliis, atq; aliis morborū generib. laborāt, quibus ſudatorium praeſens ſolet eſſe remedium. eos minime enumerabo, tum quod in promptu ſunt, tum quod cuncta protinus contrahere deliberatum mihi eſt. Super Baias in Myrtetis erant ſudationes. Aſſas ſudationes in noſtro habemus calidiori. abeſſe igitur non poteſt, quin eiuſdem medici ſit, qui varia ſudatoria ignoret, haec improbare. Vehementer etiam deſiderarem; vt aliquid de Balneolis, ſeu Alueis, ſeu labris, quibus aqua frigida includeretur, commentatus eſſet; cuius vſus neceſsitas ſaepe incidit. ne multis, id luculente tradidit Aëtius his verbis. *Confert & naturalium aquarum calidarum, & frigidarum vſus.* Ac ne quis putaret de illis aquis, quae huiuſce modi virtute praeditae eſſent, illū non agere, paullo poſt ſubdit. *Aquiſq. naturalibus principio quidem calidis, dein quoq; frigidis, praecipueq. Sulphureis, ac Bituminoſis.* Et in coxendico morbo probat naturalium aquarum vſum inter initia quidem calidarum, dein etiam frigidarum; quod & in Podagrae curatione ſedulo obſeruandum cenſeo. Ego vero hac in re id, quod veriſsimū eſt, cur ſilētio inuoluam, ſane non diſpicio. Harum aquarū calidarum beneficio nulli aegro ſanitatem hactenus reſtitutā vidi, at earatione curandi plures ad ſanitatem perductos obſeruaui. Frigidarū etiā vſus aquarum exploratus eſt ab Alexandro Tralliano, qui ſanguinem Hircinum praebet, cum aeger in frigidam deſcendit, & Caelius Aurelianus. *Vtraque enim haec (inquit) paſsioni ſubiecta ſunt, vt etiam ſtupor corporis, vel frigidus torpor, quem non ſemper neceſſario vaporationibus calidis, verum etiam frigore adhibito releuamus.* XXI.

Nihil eſt de frigidae aquae vſu, quod praeterea addamus; plures enim video, qui haec erudite perſequti ſunt. Nunc de riuulo illo pauca quaedam dicenda ſunt, quem paullo ante Barnabonis vocauimus, ad quem ſaepe decurrimus, cum calidiores illi nos plane fruſtrati ſint. ille Bitumen copioſius habet; quod aluum deiiciat, ceteras vero partes molliat, digerat, paullum corroboret; quod in eo Alumen quoque ineſſe videamus. ei autem adiunctam quandam Nitri partem veriſimile eſſe videtur; neque eum diutius negligere debemus, ne noſtra culpa intereat XXII.

ea

ea aqua, quae maximo aliquando nobis emolumento eſſe poſsit. cum vero eius aquae potionib. corpora ſaepiſsime perpurgētur, miror ſane, quid ſit, quod nos, quae vſu s explorauit, tantopere contemnamus, faſtidimus, reſpuamus. Ego, quo facilius aquarū Villenſium potiones per aluum tranſeant, ad has frequenter decurrere ſoleo; praebeo vero illius aquae ciathos III. adiecto tātillo Sacchari rubei, aut Sy. roſ. Lax. aut Mannae vnc. vna, aut altera; eam per venas nunquam penetrare obſeruaui. ceteras minime enumerabo virtutes, quas vel ipſae mulierculae haud ignorāt; & a nobis paullo ante diligentius ſunt explicatae; quod ſcilicet vitioſos humores caliditate diſcutiāt, aſtrictione omnes corporis noſtri particulas roborent, diſſoluta corpora fouendo reficiant. De ſtructura Balnearum verbum non addā. Illud tantum, quod praeterire nefas eſſe duco, quod ſaluti aegrotantium plurimum conferre poſſe arbitror. Quid illud eſt? vt & calidarium, & tepidarium exaedificetur. Adiiciendi aluuei, vel labra muliebria, & virilia, quae e regione collocentur, ita vt calidarium mediū relinquatur; hac enim ratione ſi fiant, erunt Aquae,

XXIII. ſane (vt arbitror) vtiliores. In cunctis vero Balneis Apoditeria neceſſario requiri multi quoque ante nos animaduerterunt. In Aquis autem Villenſib. velim, vt tria ſaltem aquae illius vel caſtella, vel receptacula, quae Graeci (vt arbitror) πύλους vocant, in quibus tantum aquae concludi velim, quantū Alueolos, vel Labros, vel Balneolas iterum complere poſsint, & ex illis receptaculis in Alueolos, in quibus aegroti deſcendunt, quoties

XXIV. velimus, copioſiſsime redundet. Venio nunc ad poſtremum illud, quod antea propoſuimus, in quo omnes protinus monitos, & oratos velim, vt ſi bene audire, magnamq. infamiam fugere velint, eos potiſsimum ad haſce aquas detrudant, qui contrariis aquae, quae emittitur, vitiis periclitantur. iis enim, qui molliorem ventrem, & humidiorem, & pituitoſiorem nacti ſunt, remedio maxime eſſe ſolent hae aquae ex Hippoc. etiam ſentētia, quod venter protinus exſiccari poſtulet. At reperiuntur nonnulli, qui haec contemnentes, quae ad priſtinam valetudinem reuocandam inſtrumenta eſſe debebant, iis ad perniciem aegrotantium aliquando abutantur, id vt iterum moleſte itervciam,

facit

facit Aetij auctoritas, qui in ijs, quorũ capita a cauſſa calidiori vexantur, cuncta calidiora medicamenta explodit, ac eijcit. *Praeſertim vero nocere (inquit) ſolet vſus aquarum ſua ui calidarum.* dein verba Galeni adſcripſit; *quae enim Sulphurea sũt, ac Bituminis odorẽ naribus obijciunt ob eius ſcilicet caliditatem aduerſiſsima ſunt capitib. temperatura calidiorib. quae autem Aluminoſae ſunt, propter aſtrictionem capitis temperamento calidiori minime conducunt; neque.n. potis eſt inueniri; quae ſua ſponte calidiores ſint, quibus non aliqua medicamenti vitioſa qualitas ſit coniuncta.* Dijboni illud quantũ eſt. quod his Balnearũ vel miniſtris, vel curatorib. quos aut mediaſtinos, aut mediaſtrinos veteres vocabant, potiſsimũ ſacras haſce Balneas locamus, qui non modo omnium diſciplinarũ rudes, verũ etiam morib. ruſtici ſunt, ac agreſtes? Hi vt experientiam ſequãtur, quae nulla ratione nititur, lucro tamen mirum inmodum eoſdem duci videmus; nanq. futili eorum cantilena, quid aliud quaerunt niſi, vt quam plurimum lucri faciant, & paruo precio Balneas redimant? Huic malo, quod Hoſpites, quorum amicitiam Reſpub. noſtra cupidiſsime ſemper appetiuit, & ad eam voluntas ciuium meorum ſemper noui aliquid attulit, plane eijcit, ac extrudit, omnes mederi debemus. Veruntamen cũm in hiſce aquis Villenſib. & Sinopica, & Alumen, & Bitumen inſit, veriſsimum illud erit quod a nonnullis multo ante traditum eſt, & calidiores quaſdam particulas frigidiores reddere, & frigidiores calfacere nullo negocio poſſe; etenim cũ Bituminis qualitates ipſae pugnent cũ iis, quibus Sinopica praedita eſt, contrarias protinus qualitates aquam hanc obtinere veriſimile eſt; quae res cum a veterib. egregie perſpecta eſſet medicis, ne cui eſſet ignota, curarunt, vt in marmoream tabulam protinus incideretur, & eodem in loco pulcherrime figeretur; eam quod propalam conſtituta ſit, hoc loco adſcribemus.

E Lepram

CONFERT Cunctis capitis membris ; curat omnes ſtomachi morbos. appetitum excitat. digeſtionem conciliat. uomitum reſtringit, ſanat cuncta Hepatis uitia. Hepatis, & uenarum opilationes aperit. colorem optimum facit. confert paſsionib. ſplenis. ſanat ulcera Pulmonis. mundat Renes. Lapidem cōminuit. Arenulas prohibet. Macros impinguat. Lepram curat non confirmatam. Bibita antiquas febres expellit. Matricis uitia clyſterizata curat. toto corpore ulcera ſanat. xxx. lauātur dieb. qui ea utuntur. iix. uel x. bibitur purgatione PRAEMISSA.

XXV. Illud interea animaduertendum, quod multos quoque alios diligentiſsime obſeruaſſe video, haſce aquas perbelle quidem pondere, ac copia extrudere ſolere arenulas, lapilloſq. ſi qui renib. adhaeſerint; at in illis flexuoſis itinerib. tantum vel roboris, vel aſtrictionis relinquere ſolere, vt renes aptiores multo dein fiant ad lapides procreandos, niſi malo diuinum occurrat medici cōſilium. Illud argumento eſt, quod idem aegroti ſaepe petant, quaerant, tentent remedium. huiuſce detrimenti culpam ſuſtinet Rubricae, Sinopicae, & Aluminis copia, quo tantū affluunt Villenſes aquae, vt vir doctiſsimus ſolum Alumen in hiſce aquis ineſſe aliquando cenſuerit. Nos in tempore proferre ſolemus illa remedia, quae vel vrinam citare, vel particulas illas maxime lenire ſolent, & poſſunt. Si renes calidiores ſint Syr. Violaceum, aut Capill. ven. praebemus; ſin frigidiores ſint, & materiae frigidioris nonnihil etiam in ipſis haerere ſuſpicemur; (ea enim captam ſemel ſedem diutius tenere ſolet) ad Syr. Eringii, aut ad Syr. Hiſſopi ex Oximellite, aut ad Valerianam, Agrimonium, Abſinthium Troc. Alchachengi, aut denique ad noſtrum in huiuſcemodi caſu efficaciſsimum confugimus. Decoctū Ligniſancti (illa victus ratione reiecta, qua vulgo uti ſolemus, cum huiuſmodi remedium vſurpamus) ſaepe prae-

huius

bui, quod humidiorib. temperaturis conueniens fuit remediũ. Notaui ſaepe aſſumptam aquam nunquam aliquando transfuere, quod intus aliquid opponatur, in quo extrudendo multum operae interdum fruſtra ponimus, non alia (quod diligẽter quidẽ obſeruaui) de cauſſa, niſi quod in ſtomaco haud vulgaris coacervata ſit humorum copia pituitoſorum, qui calidiorib. medicamentis propulſi, in omneſq. venas diuiſi eas obturant ac infarciunt. illi vero generantur, quod in apetendo minime ſaepe nobis temperemus. Hos in inferiora depello Agarico potiſsimum, ac Rhab. nunquã fere medicamento, quod Scamoneam habeat; quę nonnullam ſtomacho inferat iniuriam, &, vt in eam partem humores vertantur, in cauſſa eſſe ſoleat. Quod vero ad Sy. pertinet non vi. aut vii. ſed x. aut xv. aut xx. vt darentur, aliquando imperaui; vix enim credibile eſt, quam difficile ſit interdum corpora ſuperuacuis humorib. plane liberare. efficaciſsimum egregiumq. expertus ſum Syr. de Abſinthio; mirifice enim eũ vrinã mouere animaduerti, renibus robur addere, virtutem, quae retinet, firmã facere, quod & Dioſcoridem deinceps adnotaſſe cognoui. eum autem aſſumere iubeo ex decocto Hiſſopi, ſem. Maluae, Paſſularum. poſt coenam ſaepe huiuſcemodi medicamentũ perſcribo, quod habet Paſſularũ vnc. I. Liquiritiae, ſem. Halichabi, vel Anonidis rad. cort. Sing. ℥. I. Rhab. ʒ. I. ſ. Tragacantę vnc. ſ. Sacchari candi. vnc. I. ſ. excipiuntur Sy. Hiſſopi. Cũ aũt a qua cum vrina minime editur, perpendendum, num eius curſus in inteſtinis conſtiterit, an venae eam abſorpſerint, an in veſica haeſerit. ſi ad inteſtina tota confluxerit, colligitur id ex tenſione & tumore; culpã ſuſtinent venae Meſeraicae praecluſae, quae aquae profluuium comprimunt. excluditur aqua Clyſteriis, aut ſuppoſitoriis appellatis. Clyſter eiuſmodi eſſe debet. Calamenti, Hyſſopi, feniculi, Polipodii ſing. m. ſ. Centauriae minoris m. I. decoquuntur ex aqua Tettuccii. Hiſce adiungũt Hyerae picrae, Benedictae ſing. vnc. ſ. mellis roſ. vnc. iii. ol. Rutacei vn. iiii. ſi tota in venis contineatur, protruditur Balneis eiuſdem aquae calidiorib. quae ſudorem diffundant; poſtridie aut Syr. roſ. aut yridis, aut Braſsicae marinae decoctũ praebeo, aut Mãnã. Nonnunquã ad clyſteria cõfugi, quae cõſtãt ex iis, quae paullo ante tradi-

dimus XXVI

dim? at ſimul incoquere ſolemus ex aqua ſcilicet Tettuccii Agarici, Colloquintidos, rad. Ebuli, Cucumeris Aſinini ſing. vnc. ii. Sin in veſsica ſubſtiterit, eam oleo Scorpionum inungimus; in eam etiam, vt Caſtoreum cum oleo rutae confuſum iniiciatur, curamus. eadem in aluum recte indi poſſunt. & aliquando in eam dedimus Falernum in quo, vt decoqueretur, Feniculus, Ciminum, Anyſus, Origanum, Ruta, imperauimus. Nonnunquã auxilio fuit Cathaplaſma, in quo erat Porrum, Allium, Farina Lupinorũ, ſem. Lini, Foenigraeci. ſaepe verueci zirbum, quẽ appellãt, dũ caleret, impoſuimus. haud raro iuſsimus, vt aeger in latere ſederet igne calfacto, & vino aſperſo albo. Eadem aliquãdo.

XXVII minime deſtillare ſolet, quod annus anteceſſerit humidior, & calidior; neque enim veriſimile eſt aquas tametſi terra abſtruſas abeſſe omnino poſſe ab aquarum, & temporum iniuriis, praeſertim cum Ariſtoteles teſtatum reliquerit aquae dulcis copiam ad calidiorem profluentem aliquando adiungi ſolere. Hinc in Veris flexu recte dantur, & inter Aeſtatis initia, necnõ Autumno praeſertim ſi calidior, & ſiccior extiterit. Ego vero anno CIↃ. IↃ. LXXIX. in quo profecto aquae ingentes fuere, per paucos omnino aquam illam excluſiſſe notaui. Nullis excidit, qui ita corpore facti erant, vt humidiores, frigidioreſq. viderentur. atque aëris vitia ac incommoda lenire poſſumus, propulſare non poſſumus. Probare minime poſſum, quod nonnullos factitare

XXIIX. audio, vt aut Scamoneam, aut Elaterium Villerſib. aquis admiſceant; ego vel ad puluerem Lumbricorum terreſtrium, vel ad ſem. Halicacabi, vel ad Barnabonis Fontem recurro; huius aquas, ſi nihil eis praeterea additũ ſit, vrinam egregie trahere vſu perſaepe comperi. Sin aut Manna, aut Syr. roſ. Lax. aut tale aliquid adiunctum ſit, ventrem exinanire. ad hoc probandũ ſingularis ratio reperta iam eſt; etenim cum fontem illum, Bitumine magis affluere, quam ceteros veriſimile ſit, quod prope infimum montis locum teneat (Bitumen enim poſt Sulphur, vel potius ex Sulphure procreatur) & cum ſimili in genere tametſi inferiori ordine collocatus ſit, naturali quadam quoque cognatione cum hac iungatur, profecto fas non eſt dubitare; quin, cum haec aqua in corpus iniit, in cauſſa futura ſit, vt facilius multo

aqua

aqua Villenſis calore duce, comite Bitumine per venas permeet; ni vis maior aliqua acceſſerit, quae in inteſtina eam compellat. De Scamonea, ac de Elaterio plura ſcribenda non ſunt, quod haec quid boni, quid mali afferre poſsint, nemini ignotum iam eſſe arbitror. Cum aquam Villenſem praebemus, vt quarto quoque die aegri conquieſcant, iubemus. Sin vomitum eadem aqua excuſſerit, alia protinus ſuperbibenda eſt; quae excernitur adſeruanda; neque enim alienum eſt, & aquam, & vrinam metiri, quae tota interdiu extrudi aliquãdo minime ſolet, noctu ſaepiſſime. Prandio parum aſſumere aſſueſcimus. in coena damus cibũ copioſiorem, tenuem tamen, & ſimplicem. Somnus poſt prandiũ maxime alienus eſt. Poſtq̃ aquam totam aſſumpſerint, conſercoton. ex Saccharo vnc. 5. vt aſſumant aegroti, hortamur. Quod autem omnibus fere aquam Tettuccii inter initia praebeant, id ego omnino laudare non poſſum, in iis praeſertim, qui temperatura ſicciori praediti ſunt. Illud nemo non agnoſcit eandẽ aquã priores venas minime tranſire; at nos ſaepe notauimus bonam, magnamq. eius partem cum vrina protinus excerni in iis, in quibus vrinae itinera maxime patent; verum haec alias, & ſuo loco. Aëtius ſcriptum reliquit *poſt calculos expulſos naturalium quidem Aquarum vſu probari; at*, ſubdit: *Lauent non ſaepe, vngantur autem frequenter*. nimirum videbat vir ille, cui haec aetas merito plurimum defert, quod ſi prolapſis calculis frequenter in calidarum aquarum Balneis deſcenderent aegroti, neceſſario primo calfieri renes, & continuo calculum renaſci poſſe: deinde, calorem illum in cauſſa eſſe poſſe, vt humores in partem aegritudine affectam facilius delaberentur, praeſertim ſi totum corpus ſuperuacaneis omnibus liberatum non eſſet. At Synapiſmos adhibet idem, inquies. quid tum? qui illud κοινὸν παράγγελμα memoria teneret, quod a Galeno traditum eſt, in omnibus fere morbis, quos vitioſi ſucci excitarint, in extremo calfacientib. & exſiccantib. vtendum eſſe. Quantum vero interuallum interiectum ſit inter ea, ad quae decurrere ſolent antiqui, & Villenſes noſtras aquas, nemo non videt; vt enim hae maxime calfacere, & exſiccare poſſent, in aquae tamen dominatu ſunt eius opes, ac potentiae; quicquid enim potentia eſt, alterius, quod actu eſſe

dicitur

dicitur, tutelae protinus ſubiiciatur, neceſſe eſt. atque hic illam omnium iudicio vincit, ac ſuperat. nos vero non modo, vt aegroti in aquas haſce Villenſes bis in die deſcendant, admonemus, hortamur, iubemus, quos notaui tardius omnino percuratos eſſe, & morbum aliquando ſe extuliſſe; ſed etiam haec iacent remedia, in quibus poſita eſt multorum ſanatio. Adſcribit Aëtius aliud Archigenis Malagma ad hoc maxime efficax, ad quod ego decurrere ſoleo, cum cetera nulla ſunt. id, vt perpendant ſtudioſi, & eius opera aliquando vtantur, excribere volui. in eo ſunt Picis liquidioris Hem. ii. 5. cerae Reſinae pinus, Sulphuris viui ſing. lib. 1. 5. Staphis agreſtis. Beſſē. Galbani ſexuncē. Hoc nulla fere in re (praeſertim ſi eius facultates, non ex quibus factum ſit, perpenderimus) diſcrepat ab eo, quod multo ante poſitum eſt. quod ne intereat, a vobis maxime prouidendum eſt, qui ſtrenue rem medicam excolitis, qui optimis diſciplinis inſtructi ſumma

XXXI. cum laude languentes leuatis, ac iuuatis. Antequàm vero deſcendamus in Balneas, aut aquae poculum exhauriamus, leuiter ambulandum, aut corpora fricanda eſſe nemo ignorare debet, tametſi pleriq. ignorent, perpauci ea vtantur. Sine exercitatione aliqua in Balneas deſcendere veteres minime ſolitos fuiſſe ex Galeni voluminib. nullo negocio intelligitur. Tradunt idem multi, ad quos ego illos libenter reiiciam, qui haec lectitabunt, ne ab aliorū lectione omnes de īduſtria abſtrahere velle videar. etenim & dum perpotarent aquam, voluptate quadam perfunderentur aegroti; & ventriculus calore illo aquae, quam recipit, veluti blanditiis quibuſdam delinitus, melius eam concoqueret; & membra denique iiſdem capta illecebris eandem aquam cupidius arriperent; & melius ex iocinore in veſsicam deducerent. Noſtri autem iis ludis non tantūmodo delectantur, quibus cum ludunt, ocioſe ſedendum ſit (aut enim latrunculis, aut tabellis pictis, aut alea excercentur) verum etiam hi ludi magnificentiſsimi habentur, quorum ſane nullus modus retinetur. Haec pauca, quae de Aquis Villenſib.

FINIS.

QVAE IN HOC VOLVMINE Continentur.

PRIMA PARTICVLA.

1 Scribendi cauſſa & occaſio.

2 Propoſitio { De Aquarum Villenſium natura.
Quae in illis deſiderari poſſunt.
Quae morborum genera curent; qua ratione apti⟨o⟩res aegrotos facere oporteat, & quae animaduertere conueniat. }

3 Montis ſitum deſcribit, & Aquarum naturas.

4 Caloris cauſſas explicat.

5 Qua ratione accendatur ignis.

6 In hiſce non modo Sulphur, ſed etiam Bitumen ſubeſſe cōprobat.

7 Hippoc. ſententiam de aquis calidiorib. explanat.

8 Non Sulphur ſolū, & Bitumen, ſed et alia quaedā admixta ſubeſſe; Ferri autem fodinam fere non ſubeſſe, vbi calidiores aquae reperiantur.

9 In huiuſcemodi locis eſſe Bitumen, Sulphur, Nitrum, Salgemmā, Alumen, Rubricam, Sinopicam.

10 In hoc monte praedicta omnia reperiri.

11 Deſcendit ad ſingularia, & primo de fonte Barnabonis.

12 De Docciis.

13 De Balneo calidiori.

14 De Balneis Villenſib. & D. Ioannis.

15 Peroratio primae particulae.

SECVNDA PARTICVLA.

16 Quod Stellicidia villen. optimo conſilio conſtituta ſint, & quod capiti calidiori Stellicidia calidiora minime conueniant.

17 Quod Galen. etſi volumen de Aquis calidiorib. minime conſcripſerit, ſatis tamen ſuperq; de illis ſcriptum reliquerit, & Iuniores nihil niſi ſingularia attuliſſe.

Quid

18 *Quid ſibi velit Galen. cum haſce aquas experientia eſſe cognoſcendas memoriae mandarit.*

19 *Poſt Stellicidia calidiora Villenſes frigidiores probandae.*

20 *De Sudatorio in Villenſib. Balneis exaedificando.*

21 *De Aqua frigidiori in iiſdem adſeruanda.*

22 *De Barnabonis fontis vſu, & Structura.*

23 *In cunctis Balneis Apodeteria, in Villenſib. etiam aquarum Caſtella, ſiue receptacula exedificanda.*

TERTIA PARTICVLA.

24 *Ad haſce aquas detrudendi, qui contrariis aquae, quae emittitur, vitiis, periclitantur. Villenſes praetera aquas, & calidas particulas frigidiores reddere, & calidiores frigefacere poſſe.*

25 *Haſce aquas aſtrictionis aliquid relinquere in renib. & quomodo huic malo occurri ex arte poßit.*

26 *Non tranſluere aquam, quod in ſtomaco multa ſuperuacanea reperiantur, & qua ratione extrudenda.*

27 *De anni temporib. obſeruatio.*

28 *Scamoneam, Elaterium reiicit. Barnabonis aquam dilaudat.*

29 *Aquã Tettuccii ante aquã Villenſem perpetuo minime cõuenire.*

30 *Poſt Calculos reiectos lauent non ſaepe, vngantur frequenter, & medicamenta quaedam perſcribit.*

31 *Ambulandum, vel corpora fricanda ante quàm vel in Balneas deſcendant Aegroti, vel Pocula aquarum exhauriant.*

FINIS.

Lucæ apud Vinc. Buſdracum CIↃ. IↃ. LXXX.
De conſenſu Superiorum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA